Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions
The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

Incipit vita sancti Ambrosii episcopi.

Hortaris venerabilis pater Augustine, ut sicut beati viri Athanasius et Ieronimus presbiteri stilo prosecuti sunt vitam sanctorum Pauli et Antonii in heremo positorum, sic et Martini venerabilis episcopi Turonensis ecclesiae Severus servus Dei sermone contexuit, ita etiam ego beati Ambrosii episcopi Mediolanensis ecclesiae prosequar stilo. Sed ego meritis tantorum virorum qui muri ecclesiarum sunt et eloquentiae fontes, et sermone me imparem novi. Tamen quia absurdum esse opinor quod praecipis declinare, ea quae a probatissimis viris qui illi ante me astiterant, et maxime a sorore ipsius venerabili Marcellina didici, vel quae ipse vidi cum illi astarem, vel quae ab his agnovi qui illum in diversis provinciis post obitum eius vidisse narrant, vel quae ad illum scriptas cum adhuc obisse nesciretur, adiutus orationibus tuis et meritis tanti viri, licet inculto sermone breviter strictimque describam, ut lectoris animum etsi sermo offendit, tamen brevitas ad legendum provocet. Nec verborum fucus veritati obducam, ne dum scriptor eleganciae pompam requirit, lector tantarum virtutum amittat scientiam, quoniam non magis verborum faleras popularesque sermonum, quam veritatem rerum, gratiamque spiritus sancti quaerere conveniat. Siquidem novimus lectores gratiorem habere aquam brevi vena stillare fontem cum sitiunt, quam profluentes rivos, quorum copiam sitis tempore reperire non possunt. Et ordeaceus panis dulcis solet esse et his qui centenis vicibus ferculorum cotidianis conviviis copias ructare consueverunt. Quam ob rem obsecro vos omnes in quorum manibus liber iste versabitur, ut credatis vera esse quae dicimus, nec putet me quisquam studio amoris aliquid quod fide careat posuisse, quandoquidem melius sit penitus nichil dicere, quam aliquid falsi proferre, cum sciamus nos omnium sermonum nostrorum reddituros esse rationem. Nec dubitem et si non ab omnibus omnia tamen ad visus diversa scripta et ea cognita non nullis esse, quae etiam mihi ipse aut audire aut videre potui. Unde a die nativitatis eius narrandi incurram summam, ut gratia viri ab ipsis cunabulis qui fuerit agnoscatur.

Incipit ordo narrationis.

Igitur posito in administratione praefecturae Galliarum patre eius Ambrosio, natus est Ambrosius. Qui infans in area praetorii in cunabulis positus, cum dormiret aperto ore, subito examen apum adveniens faciem eius atque os complevit.